

Cap. 9. progreditur ad actiones & formulas litigandi, quas magorum incantationibus & verbis occultis comparat, ita superstitiose observandis, ut qui in una syllaba labatur, omne sacrum sit turbaturus. Processum quoque Romanum à moribus hodiernorum judiciorum non minus remotum esse, quam à Tartarorum moribus mores Gallorum distent, abunde evincit.

Cap. 10. comparationem instituit inter modum jus docendi antiquorum & nostrum, ut inde constet, non recte Universitates Gallie jactare, se priscis in Persia Justitia scholis pares esse; illic enim juventutem exerceri solitam in legum, quas addiscerent, usu, & magistros alteram diei partem erudiendis adolescentibus impendisse, alteram iisdem exercendis tribuisse, ut quasi in judicio agitatae causis, quæ didicerant, ad usum adhiberent. Item apud Romanos non separata opera adolescentes eruditos fuisse, sed auscultasse saltem, quando consulentibus respondebatur; unde nihil didicerint, nisi quod usui statim futurum esset. Et hanc methodum expeditissimam & optimam putat Autor, tum quod artis exercitium preceptis tradi non possit, tum quod princeps artis & disciplinæ cujusque pars in actione consistat; exemplo picturæ, cujus primaria